

REGULAS QUASDAM VITAE ACADEMICAES SUIS DISCIPULIS PRAESCRIBERE PERGIT

ET VT

VIRI

QUOS DIGNITATE MUNERUM
ERUDITIONE ET MULTIS MERITIS CLAROS SCHOLA NOSTRA
SUSPICIT

ACTUI ORATORIO POST

SACRA MATUTINA DIE III. OCTOBR. ET
SEQUENTIBUS INSTITUENDO

PRAESENTIA SUA LONGE SUAUSSIMA

MAGNUM ORNAMENTUM ADIICERE VELINT
PRO EO VT PAR EST ROGITAT.

DANIEL TRAUGOTT MULLER
RECTOR SCHOLAE SCHNEEBERGENSIS.

LITTERIS CAROLI GUILIELMI FULDAE.

83.

In gratiam meorum, qui academias salutare apud animum constituerunt, discipulorum quasdam vitæ academicæ regulas conscribendi, utilitatemque earum commonstrandi dum nuperime feci initium (a); pergendum mihi esse in incepto nunc reor, siquidem hoca re & scribendi causa alienum, ut opinor, non erit. Rursus enim Iuuenis præclaræ indolis, et indefessa diligentia ad altiores Musas se collaturus, e coetu nostro honeste dimittendus, actus simul oratorius nonnullorum, inter quos duo ad studia academicæ breui summa cum laude ad spirabunt, discipulorum indicandus, & denique *Inspectores & Auditores omnium ordinum Speciissimi* ad lustrationem scholæ nostræ auctumnalem sunt inuitandi. Quidni itaque institutum meum confidere pergerem? Nuper vero meis auctor suasorque fui, ut ne iusto citius æri liberiori se credant, vt in academis venerationem summo numini, & obedientiam magistratui & legibus academicis præstent debitam. His iamiam dictis tantum addo, quod iuriurandum academicum religiose pieque sit seruandum (b), nec temere, vii inconsiderati iuuenes nugantur, negligendum. His subiungo, quod anni academici sint pretiosissimi. Quod si diuus Paulus Ephesi incolas hortatur (c), ne finant tempus, a Deo ad salutem datum, elabi, sed vt ἐξαγοράσσωται τὸν καιρὸν: de annis academicis idem pronunciare licebit. Debent itaque studiosi ἐξαγοράζεσθαι τὸν καιρὸν, & occasionem, præclaras addiscendi artes, neutriquam praetermittere. Præclare sane Cicero, summus ille, cum quo romana libertas expiravit, & orator & philosophus, filium suum, Athenis studiorum causa degentem, admonet de hac re, cuius verba apprime huc spectantia, quamvis paullo prolixiora, apponere mihi, quæso, liceat. Ita vero ille (d): „Cum Athenas & ad Cratippum, tanquam ad mercaturam bonarum artium sis profectus, inanem redire turpissimum est, dedecorantem et urbis au-

, cto-

(a) in Progammate, quod publicatu d. i. Maii, huius anni. (b) Orationem de Religione iuriurandi academicæ Petrus van Mastrigt in academia Clivorum a 1670. habuit, vid. Nou. Litter. German. mens. Jun. a. 1706. p. 219. (c) Eph. V, 16. (d) Lib. III. de Officiis, Cap. II.

ctoritatem et magistri. Quare, quantum conniti animo pot-
„es, quantum labore contendere, si discendi labor est potius
„quam voluptas, tantum fac, vt efficias: neue committas, vt cum
„omnia suppedata sint a nobis, tute tibi defuisse videaris. Et
„profecto sibi quam maxime desuntilli, qui segniter, otiose & ne-
gligenter omnia agunt. Pluribus res domi est angusta, adeo, vt
duobus tribus annis præterlapsis, pedem referre, & ex aca-
demis se recipere cogantur. Et quanta illorum tunc est infeli-
citas, quando inanes domum redeunt, & nec patriæ, nec sibi prod-
esse possunt! Quam multi, desperatione adacti, castra Musa-
rum deserunt, & ad alia quaevis secedunt! Et fac etiam, nonnullos
diuitiis abundare; illis tamen est perperendum, quod tur-
pitudinis notam sic non effugiant. Num hoc est, parentum vo-
tis & præceptis, patriæ officiis & Dei mandatis respondere? Sic
fane ad astra non itur, sic laus & nominis fama non paratur. Sed
non sufficit, vt ciues academiae summa ope nitantur ad honestas
artes et scientias feliciter percipiendas; sed et hic quaedam monebo.
Sunt enim, quibus pleraque omnia litterarum veterum et erudi-
tionis sunt quaesita et euigilata; verum sibi sapere videntur, et
sine duce ad fastigium eruditio[n]is peruenire conantur. Arro-
gantes et tumidi illi sunt, non sapientes, qui credunt, se ea vel nos-
se, vel ex libris haurire posse, quae doctores academicci eloquan-
tur. O quantam temeritatem! Sed pone etiam, *αὐτοδιδάκτος* il-
los quodam in scientiis consequi profectus; certum tamen est,
quod saepius nubem pro Iunone amplectantur, quod plerum-
que agant confuse, et quod certe eo per multas difficilesque am-
bages perueniant, quo alii facilime, recta via incedentes, per-
uenerunt. Pauci omnino deprehenduntur, qui sine inani lactan-
tia cum Phemio, cantore atque citharoedo, dicere queant (e): *Αὐ-
τοδιδάκτος δ' εἰμι.* Θεὸς δέ μοι ἐν Φρεσὶν οἴκας παντοῖς ἐνέΦυσεν. Mu-
torum, non nego, autodidactorum exempla passim allegantur(f):
): (2 at

(e) apud Homer. Odys. Libr. XXXII. v. 310. 311. (f) allegabo modo auctorem
libri, qui inscribitur: Das Leben der Gelehrten, so in Deutschland vom
Anfang des 1719. Jahrh dieses Zeitalters gesegnet. Quedlinburg a. 1719.
quippe qui p. 562. seqq. quinquaginta eiusmodi exempla collegit.

at ii omnes, vel necessitate compulsi, vel praelata indeole adiuti, id fecerunt, et tamen magnis difficultibus non caruerunt (g). Vanum itaque aut certe difficilem laborem suscipiunt, et insolentia nimiaeque sui aestimationis vitio se contaminant, qui, nulla urgente necessitate, sine viua Professorum voce, scientias addiscere, vel doctorum praestantissimorum scholas parui ducere non erubescunt. Si effatum Xenophontis verum est, quod nemo negabit, quod hominibus nihil praestantius sit, neque utilius ordine: necessarium erit quam maxime, ut studiosus, ad calcem studiorum optato modo peruenire cupiens, ordini studeat. Philosophiam, quae facem ad omne eruditionis genus praeferat, neutiquam negligat, sed eius, et potissimum artis logicae, ope id consequatur, ut quaevis sibi obuia rite disponere, et, data occasione, eo facilius depromere poscit. Et tanta sane nostrorum temporum est felicitas, ut in ipsa luce caecutire viderentur, qui philosophiam spernerent. Tota enim philosophia frugifera ac fructuosa, nec villa pars eius inculta ac deserta est (h). Sed et in reliquis ciuis academie festetur studiorum tractandorum ordinem, et, ut ita dicam, concordiam. Minime omnia indistincte ac promiscue adnotet aut legat, sed utilia. A facilioribus ad difficiliora progrediatur. Neutiquam amoenostantum, sed et meditatos libros manus verset. Denique ne credat, quod schola relictā, omnia scholastica studia sibi sint dedecori. Sunt, quibus fordanit linguae, qui, barbare scribere vel eloqui, sibi dicunt honori, et qui impense gaudent, quod nunc demum liberi sint a linguis et iis, quas scholae tradunt, scientiis addiscendis. Euge vero! Decetne eruditii nomen ambientem, linguarum esse expertem, historiae, geographiae, poeseos, oratoriae, et reliquorum humaniorum, quae dicuntur, studiorum nullam plane habere notitiam? Aliam plane Cicero aluit sententiam, „Caetera, in- „quiens

(g) Testis hic esse potest Becherus in Psychosophia Quæst. 152. p. m. 316, et in Praefatione Methodi Didacticae. (h) Cicero de Offic. Libr. III, C. II. (i) in Orat. pro Archia Poeta, Cap. VII.

„quiens (i), neque temporum sunt, neque aetatum omnium,
„neque iocorum: haec studia (itterarum) adolescentiam alunt,
„senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugi-
„um ac solatium praebent, delectant domi, non impediunt fo-
„ris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur. Et
belle ait celeberrimus Schelhornius (k): Quilibet, cui cor sa-
„pit, mecum lubens agnoscet, nequaquam inuile esse, quod lin-
„guis, nobilioribus praeципue, impenditur studium, sed inde, uti
„in omne propemodum eruditio[n]is genus, ita maxime in diuinio-
„rem scientiam vberima redundare commoda. Et paullo post
„haec adiicit: Dudum obseruarunt viri perspicaces, linguarum stu-
„dio insuper habito atque negle^cto, ecclesiae faciem etiam defor-
„mari. et Christianisnum paullatim in peius ruere coepisse, sensim
„que in sanctiorem disciplinam dogmata minus sana irrepsisse, eo
„autem restaurato theologiam crassis erroribus esse liberatam.
Quidni ego adderem, quod, linguis et humanioribus litteris negle-
„ctis, et sanctior, et jurium, et artis medendi scientiae in peius ruere
cooperint, illis vero restauratis, et hae sint restauratae. Egregie, si
quis alius, hanc rem demonstrauit Ioannes Zwingerus (l), cuius
verba prolixiora huc transcribere paginae angustia vetat; quare ad
totam illam, elegantissimam sane, orationem perlegendam lecto-
rem ablegatum volo. „Et profecto prima, quae disci debent, lin-
„guae sunt, scientiarum vehicula, in quibus multum temporis
„consumimus, antequam eo perfectionis perueniamus, vt nostro
„Marte quicquam agere possumus (m). Quis itaque inficias
iret, linguarum studium ad eruditio[n]em maxime esse necessa-
rium? Si vero istud studium, reliquit subselliis scholasticis, re-
linquere non erubesceremus, istud adhuc esset crudum, et ad
eruditio[n]em solidam acquirendam minime sufficiens. Et si quis
linguarum cognitionem inanem vanamque, nec eruditio[n]is titu-
lo dignam esse statueret; vulgari quidem linguarum notitiae,
): (3 (de

(k) in Amoenit. Litter. publ. Franeof. et Lips. a. 1730. Tom. IV. p. 258. (l) in
Oratione de Barbarie Superiorum Seculorum, orta ex supina Linguae
Graecae Ignoratione, quae annexa est Georg. Henr. Goetzii Principi
Gracce Docto, Lips. 1704. (m) ut scribit Morhofius in Polyhistore; Tom.
I. Libr. II. Cap. IX. §. I. p. m. 415.

(de critica vero aliud est dicendum) cum Praeceptore meo pie Colendo, Lipsiensi illo Philosopho, D. Augusto Friderico Mullero (n) eruditio nomen non vindico, sed tamen viam eruditio n illam munire, cum Eodem omnino credo; quare a studio negligenda illa est minime. Porro cane peius et angue euitet cuncta ista, quae remoram studiis iniicere, aut istum ab optata meta retrahere possunt. Et quid quaeso, magis infringit felicem studiorum successum nimis familiaritatibus, si potissimum amici diligantur ad quaevis vitia proni. Si Atticus (o) maximum existimauit quaestum, aperire, se non fortunae, sed hominibus solere esse amicum: maximus etiam existimandus est quaetus, si sumus amici non hominibus, sed virtutibus. Quocirca, cum iudicaueris, diligere oportet; non, cum dilexeris, iudicare (p). Iuuenes, qui in academias se conferunt, saepius non norunt fraudes perditorum, et hinc in amicis diligendis miserandum in modum plectuntur et falluntur. Frequentes sunt Gnathones, qui ad alterius nutum et voluntatem lucri caussa conuertuntur. Hi tollunt iudicium veri et honesti, atque id adulterant. Omnium scelerum isti sunt architecti et machinatores. Leues illi adeo innocentissimum atque probissimum quemque ad flagitia non raro auocant. Isti itaque, qui multos et prausi sibi adjungunt amicos, temporis, pecuniae et virtutum faciunt iacturam. Omnibus igitur meis cum Paulo acclamo (q): μὴ πλανᾶθε, Φθέγγουσιν ἡθη χρῆθ' ὄμιλοι κακοί. Praecipue vero sibi caueant a nimia familiaritate feminarum impudicarum, quae in academias pestis sunt atque pernicies iuuenum. Et, proh dolor! increbuit iamiam sententia illa omnibus diris deuouenda, quam Mitio Terentianus ioci caussa, ut credunt nonnulli, pronunciauit (r): Non est flagitium, mihi crede, adolescentulum scortari. Longe aliud pronunciarunt sacrae paginae. Aliam sententiam aluerunt prudentiores inter gentes a Christi sacris alienas. Valerius Maximus appellat (s) pu-

(n) In der Einleitung in die Philosophischen Wissenschaften ersten Theil p. 25 Leipzig, 1733. (o) in Attico, Cap. X. (p) Cicero in Laelio, Cap. XXII. (q) i. Cor. XI, 33. (r) Adelph. Act. I, Sc. 2. v. 21. (s) Dict. Fact. Memorab. Libr. VI, Cap. I, §. 1.

pudicitiam virorum pariter ac seminarum praecipuum firmamentum, et notatu dignissima pudicorum hominum exempla dignis effert laudibus. Et sane Venus, molium amorum mater (^t), molles facit iuuenes, debilitat corpus, impedimentum est diligentiae, et fax ac tuba omnis malitia. Quare, o mei, in academiis abstineatis non solum ab impudicis illis meretriculis, prostibulis et carcinomatibus reipublicae, sed etiam ab aliis blandis feminis, quae honesta quidem loquuntur, sed quarum oculi natantes lascivas cogitationes indicant. Et breuibus, iuuenis, de sua pudicitia et constantia nondum satis certus, seminarum crebram societatem non appetat, licet quidam obganniant, mores iuuenum per familiaritatem puellarum reddi cultores. Multa adhuc essent monenda, quae vero pagina haec non capit, quare ad ea, quae occasionem scribendi mihi dede-
runt, me conuerto. Indicandus nimirum primo est actus oratorius; vbi quidem chorum ducet Iuuenis, felicem indolem qui laudabili diligentia p[re] multis aliis excoluit

I. CHRISTIANUS HENRICUS BARTH, Kirchberg.

Misn. qui habebit orationem latinam de officiis discipulorum erga p[rae]ceptores, et versibus germanicis scholae nostrae vale acclamabit ultimum. Adoleuit in hac schola nostra iussu Plurimum Reuerendi Parentis; et quidem bene adoleuit. Neque pertinacia, neque improbitate, neque negligentia se contaminauit, sed boni discipuli nomen semper habuit. Hebraicae, graecae et latinae linguae, poeseos, rei literariae, cuius amore fere flagrat, aliarumque scientiarum scholasticarum insignia posuit fundamenta, adeo, ut cum laude ad altiora studia nunc adspirare possit. Deus porro illi adsit, et secundet eius coepita, ut Honoratissimus Pater porro illo delectari queat. Hunc excipient alii Iuuenes Praeclaris, et quidem exponent latine

II. CAROLUS HENRICUS ANDREAE, Wildenau.

Misn. officia liberorum erga parentes,

III.

(t) Libr. I. Epist. I.



III. ERNESTUS HENRICUS HAUSDOERFFER,
Chemnic, Misn. officia ciuium erga magistratus,

IV. IOANNES CHRISTIANUS BRECHEISEN,
Schneeberg. officia iuniorum erga senes. Dicet porro grecce

V. IACOB HENRICUS SCHULZE, Wildenfelz, Misn.
officia amicorum erga amicos, et amico suo Barthio quaenam
fausta apprecabitur versibus germanicis. Tandem monstrabit
sermone latino

VI. CHRISTIANUS SAMUEL NOETZEL, Grun-
hayn, Misn. officia hostium erga hostes, et Auditoribus Specta-
tissimis gratias aget.

Breues has orationes, *Viri omnium ordinum Spectatissimi*, audi-
atis, quaeſo, benigni, et praesentia vestra ſuauifima condecora-
rate etiam ſcholae noſtræ luftrationem, more conſueto institu-
endam. Signum hoc veftri in nos fauoris ſemper magni faci-
emus, et pro eo quaius occaſione mentem noſtram gratam fu-
imus demonstraturi. P. P. Schneebergae, die Dominico XVII,
post S. S. Triados ſolemnia, ſive die 2. Octobr.

a. r. f. c. 10 ccxxxxvi.

